

3195

C O D I C E S

3196

In longa ad *Psalterii* calcem Rubrica mentio fit Veniae Noxarum a *Sixto* IV. Pont. Rom. indultae, unde *Codicis* aetas colligitur. Suc-

cedunt pia *Exercitia* de Doloribus et Gaudiis B. V. *Mariae*, gravisque sub finem admonitio:

*Dyt bock bort Metben vam bolte.
De dat vint de do dat wedder,
Edder de duuel vorbrent em dat ledder.
Hoet Dy!*

DCCCCLVIII.

960 Codex membraneus gall. Sec. XV. Folior. 43. 4. luculente scriptus, literis initiorum et marginibus auro et coloribus illustratis, tresque exhibens Icones elegantis penicilli, paratus, ut videtur, in usum nobilis cujusdam Puellae, quae in prima Icone Deiparae sedenti fleat genua, variis Precibus piis constat, quae sunt: *Les XV. Joies de nostre Dame, les V. Plaies de nostre seigneur*, et aliae, quarum pars rhythmica.

DCCCCLIX.

305 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 262. f. currente calamo partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque ad *Canonicos Regulares prope Nuffyam* (Novesium, Neus ad Rhenum) pertinens sequentia continet: I. *Callisti III.* Pont. Max. *Bullam* de institutione seu institutione Festi *Transfigurationis Domini*, quae incipit: *Inter Diuine dispositionis Archana* &c. et data est *Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo*, octavo *Idus Augusti Pontificatus Anno Tertio*. Ad quem annum illam etiam refert *Odor. Raynaldus* in *Annal. Eccl. n. 73.*

II. fol. 6. Sequitur: *Tractatus de instinctibus spirituum. M. H. de Hassia*. Initium: *Semen cecidit in terram bonam* &c. *Licet verbum propositum exponatur per christum de semine verbi* &c. Peccat inscriptio; *Tractatus* enim ad *Henr. de Vrimarya* Eremitam Aug. pertinet. Vide *Codd. XC.* et alios in *Indice. Henr. de Hassia de Discretionem Spirituum* scripsit; inde confusio.

III. fol. 13. *Sermones* II. habiti ad Clerum. Prior in illud: *Iacta cogitatum tuum in Domino*. De mente ad Deum elevanda, hoc initio: *Hec verba sancta mater ecclesia cantat in officio missae die hodierna* &c. Alter in illud: *Dispone domui tuae quia morieris* &c. hoc initio: *Carissimi Fratres ad elicendum ex premissis verbis aliqua* &c. Verum hic integer non est in hoc Cod. Ex alio tamen *Bibliothecae nostrae* integrum edidit *Herm. von der Hardt T. V. Concil. Constant. p. 115.* ubi *Jacobo* Episcopo *Laudensi* tribuitur habitus

tus

tus in Exequiis *Landolphi* Card. *Barenfis* in ipso Concilio 1416. unde adducor, ut credam, etiam praecedentem ad idem tempus, eundemque locum pertinere; sed lapsum in Titulo Cl. Editorem patebit e *Cod. DCCCCLXIX.*

IV. fol. 21. *Sermones III. Magistri Henrici de Oyta.* Primus de Spiritu Sancto in illud: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Initium: *Beatus Bernbardus in sermone &c.* Alter de Conceptione Virginis in illud: *Consurget virga de Israel.* Initium: *Sanctissime virginis mariae matris &c.* Tertius de omnibus Sanctis in illud: *Uidi ciuitatem sanctam iherusalem.* Initium: *Scripturas sacras attente perscrutantibus &c.*

V. fol. 35. *Sermones seu Tractatus Magistri Henrici de Hassia.* Primus de Ascensione Domini in illud: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem &c.* Initium: *Sicut nouistis Domini et patres sacro docente eloquio &c.* Secundus de sancta Trinitate in illud: *Non est similis tui in dijs domine.* Initium: *Patres et domini Reuerendi, si plebs fidelis alias festiue commemorauit &c.* Tertius de Canonicis Regularibus in illud: *Ecce reliquimus omnia &c.* Initium: *Nouistis fratres dilectissimi in domino ihesu regulariter congregati &c.* Ad calcem finitus dicitur in *vigilia cristiane Epiphaniae Anno Domini M^o. CCCC^o. decimo.* Quartus de Schismate in XIX. Capita tributus. Initium: *Uniuerfis nauiculae petri gubernacula inter undosi maris procellas regentibus &c.*

Quintus demum de Missa. Initium: *Quam breuis fuerit missa in uerbis et in cerimonijs &c.* Ad calcem: *Explicit Tractatus de officio Misse Reuerendi Magistri Henrici de Hassia Finitus et completus secunda feria post festum palmarum hora completorij uel quasi Sub Annis domini Millesimo quadringentesimo decimo.* Omnia jam non semel relata, ut *Index* docet. Id unum addo, *to Finitum* in utraque Subscriptione de Librarii labore intelligendum esse; Autor enim jam a. 1397. e vivis excesserat.

VI. fol. 77. *Collacio*, ut ex calce praecoccupo, *facta a M. Jordano de Cluiis In sacra pagina licenciato prorecommendatione facultatis arcium et in artibus licenciantorum Anno domini M^o CCC^o XCII^o et postea anno domini 1400. repetita ab eodem.* Initium: *Bonorum laborum fructus gloriosus. Sap. 3^o. C^o. Reuerendi patres M. et domini. Inter varios mundi status et hominum condicionem multiplicem signanter inuenio hominum statum seu conditionem triplicem. Statum scilicet hominum labores abhorrencium ex turpi pigricia, labores amplecencium sed miscendo vicia, labores diligencium virtutis amicitia &c.* Atque in triplicis huius Status descriptione tota versatur Oratio, prauos multorum Clericorum mores non parco sale perfricans, habita, ut non dubito, *Coloniae Agrippinae.*

VII. fol. 81. *Sequitur Collacio a M. Theodorico de Monasterio Sacre Theologie professore compilata*

3199

C O D I C E S

3200

lata pro recommendatione licenciandorum in sacra pagina. Initium: Fecit in oraculum duos cherubim de lignis oliuarum 3°. Reg. c°. 6. Et scribuntur hec uerba secundum hystoriam &c. Adplicantur uero ab Oratore Academiae Coloniensi ita, ut Oraculum ei fit Facultas Theologica, Cherubim uero duo recens creati Baccalaurei. Adde hanc Orationem iis, quas Nostro tribuit Harzbemius in Bibl. Colon. p. 303. et aliis, quae ex Indice nostro liquent.

VIII. fol. 84. p. 2. Sermo factus in vigilia omnium sanctorum In Domo Capitulari ecclesie Coloniensis coram uniuersitate ibi pro statutis suis more solito publicandis congregata, et ex ista causa in 2. parte huius sermonis descenditur ad commendacionem facultatum Disce uniuersitatis. Initium: *Beatus qui legit et qui audit. Scribitur Apo. primo. Venerabiles patres. magistri et Domini. Ad laudem et gloriam supreme uniuersitatis celestis pollicie cuius supposita sunt Deus et omnes sancti eius &c. Fuisse hic, quod tollere uoluissent Scriptores Epistolarum Obscur. Viror. Inter alia quatuor Facultates Oratori nostro quatuor animalia sunt plena oculis ante et retro non habencia requiem die ac nocte &c.*

IX. fol. 89. et deinceps Sermones XXV. fine Autorum nominibus, si Henrici de Hassia Sermonem de Conceptione B. V. M. fol. 111. excipias, cuius initium: *Edificauit dominus costam in mulierem. Scribitur Gen. 2. C°. Ad laudem gloriose uirginis Marie de*

ipsius conceptione quam deuocio fidelium quorundam undecunque mota sibi celebrem fecit &c. cuiusque ex aliis Codd. meminit Pezius in Dissert. Isag. Thes. Anecd. T. I. p. 77. Reliqui partim Synodales sunt ad Clerum, partim in Evangelia diebus Dom. aut festis legi solita, quidam ultimorum etiam Academicum, e quibus tamen nihil in rem praesentem depromas, ut adeo iis immorari nullum ferat operae pretium.

X. fol. 173. absque titulo Tractatus Grammaticus, qui incipit: *Profodia quaedam pars Grammaticae nuncupatur. Partes siquidem sunt quatuor &c. Autor in Praeloquio dicit Libellum hunc a se compilatum etiam ad honorem beati Domini patris nostri. Ne itaque Lectorem suspendam, est is Johannes Balbus de Janua, Tractatusque praesens Pars prima decantati ejus Catholici, cuius editionem principem Moguntinam a. 1460. f. quae mihi objacet, excepit non minus rara Augustana Güntheri Zeiner a. 1469. f. multis aliis consecutis, ut Bibliographis notum.*

XI. fol. 245. absque titulo Expositio in Genesin, quae incipit: *In principio creauit Deus celum et terram. Ita scribitur in capite totius biblie Diuine scripture que incipit a libro Genes. quem adeo exponere intendo adiuuante Domino ut in Viennensi uniuersitate nouum sacre theologie studium incipiat a capite diuinalium scripturarum &c. Ex Diplomate Urbani VI. quod legitur Lambecii L. II. p. 88. et Kollarii*

3201

LITURGICI.

3202

larii Analeſt. T. I. col. 59. Scholas Theologicas *Viennae* apertas fuiſſe liquet an. MCCCLXXXIV. primosque eis Moderatores datos *Henricum de Haſſia*, et *Henricum de Oyta*, teſtis eſt *Ge. Ederi Catal. Reſor.* ad Annum 1385. Ex his priorem ſacras Literas, alterum *Petri Lombardi* Sententias explanaffe colligere licet ex *Johannis Eckii* epiſtola ad Episcopum *Eichſtettensem* an. 1516. data, qua inter Libros *Viennae* a ſe conſpectos memorat *clariffimorum Doſtorum Henrici de Langenſtein Haſſia* in *Librum Geneſeos*, et *Henrici de Oyta Friſii* in *Theologicas ſententias Commenta-*

rios carnoſiſſimos. Vide *Conſpect. Hiſt. Univ. Vienn. Sec. II.* p. 88. Praeſens igitur in noſtro *Cod.* Expoſitio *Henrici de Haſſia* eſt, eaque certe *carnoſa*; Foliis enim 18, poſt quae in *Cod.* abrumpitur, non ultra *Brachmanas* in Epiſtola *Hier. ad Paulinum* pervenit, quin IV. Tomis Caput *quartum Geneſeos* non exceſſiſſe, ex alio *Bibl. Acad. Vienn.* Exemplo *ms.* patebit.

Codici praetexta eſt Membrana mutila anno 1417. poſterior, qua Canonici *Reg.* prope *Nuſſiam* *unionem connexionem et confederationem* aliquam cum aliis ejus *Inſtituti* collegiis ineunt.

